



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

5. Poëtæ cygnis similes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

cunditas de novitate, & securitas de aternitate. Mors verò peccatorum pessima; mala in amissione mundi, peior in dissolutione carnis, pessima in tormentis inferni. Cygneo more canit, qui non nescit, morte carcerem effringi corporis, ut in libertatem asseratur anima; mutari peregrinationem cum patria, & molestam navigationem cum exoptato portu; claudi tantisper oculos, ut meliori mox pateant luci; satis diu vixisse, quisquis bene vixerit: metiendam aetatem non annorum spatio, sed virtutum: reddi corpus, ut denuo recipiatur, & quidem cum foenore. Prudentius in hymno de S. Vincentio:

Non est, credite, poena, quam videtis,

Quae puncto tenui citata transit,

Nec vitam rapit illa, sed reformat.

*Εὐδαιμονία* Augustus sibi Caesar optasse fertur, hoc est, mortem facilem; hanc vir bonus consequitur, qualibuscunque fati expellatur à vita; desinit enim esse necessitas, cum accedit voluntas; & fit levius, quidquid à volente fit. Optimo cuique felicitatis principium, est mortalitatis finis, rectumque ac breve iter ad praemium, *mori*. Ad hanc *εὐδαιμονία*, seu mortis felicitatem ac facilitatem perducimur, si hortante Paulo 1. Cor. 7. *utamur hoc mundo, tanquam non utentes*, id est, inter malos audeamus esse boni, cuius rei Symbolum Cygnus aquis innatans, cum lemstate: *Tangor, non tingor*, nihil scilicet sordium contrahens, lacustres inter ac palustres undas.

Huc pertinet, quod de Cygnis Pierius in hieroglyphicis meminit, Socrates, inquit, apud Platonem Cygnos tum magis, dulciusque canere affirmat, cum se brevi praesentunt morituros; quasi latantes Deo gratias agere videantur, quod ad eum, cuius ministri sunt, migrationem parent. In omni namque volatilium genere nulla est avis, quae vel in esuritione, vel in rigore, aut alio quopiam incommodo emoduletur, cantillat, quam cygnus. Et quia Phoebus sunt sacrae haec volucres, concitatae letitia & quadam divinatione praeditae, alterius vitae bona praesagiunt. Hinc M. Tullius in Tuscul. quaest. Cygnos ait non sine causa Apollini dedicatos esse, sed quod ab eo divinationem habere videantur: quia praevidentes, quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriantur.

V. (e) Cygni tunc suavius canere dicuntur cum flante Favonio quasi ad cantum invitantur. Convenit hoc Symbolum Poëtis, qui gloriae studio trahuntur, favorisque sunt cupidi:

Nec

(e) *Poëtae sunt cygnis similes.*



Nec petitur sacris nisi tantum fama Poëtis. Imò etiam aliquid præter famam: nempe nummi. Conqueritur non uno loco Bilbilitanus Olor, raras spirare *Cygnis*, seu Poëtis, Favonios: lib. 1. Epig.

----- circum pulpita nostra

Et steriles cathedras basia sola crepant.

Id est, præter laudem, acclamationes, & oscula nihil nostra poësi referimus. Et lib. 10.

Pullo Mævius alget in cucullo;

Cocco mulio fulget incitatus.

Cucullus pars vestis à tergo pendentis, quo tegitur caput, vulgò *cappa*, pauperum habitus, sicut & color paupertinus, hinc pullata paupertas, quæ *Mævium* Poëtam premebat, cum agaso, cui nomen *Incitatus*, coccinatus & purpuratus incederet. Favonij sunt Mecanates, unde ad Flaccum lib. 8.

Sint Mecanates; non deerunt, Flacce, Marones.

Neque mysterio vacat Poëtico, quòd Orpheus, cum à mulieribus foedè disceptus excessisset è vita in cygnum migrasse dicatur à Platone: quo indicatur, liberalium artium peritos famà super æthera ferri. Hunc volatum sibi auguratus est Horatius Carm. lib. 2. Od. 20.

Jam jam residunt cruribus asperæ

Pelles, & album mutor in alitem

Supernè, nascunturque leves

Per digitos, humerósque plumæ.

## SYMBOLUM XV.

Python immanis draco. Sagittis Apollinis  
confixus.

1. *Metam.*

Ethicè.

1. Python symbolum pigritiæ. 2. Stratum Ignavia. 3. Labor præceptorum & honos. 4. Cura filiorum.

**D**iffluente aqua Diluvij, cum cessantibus imbribus, suosque in alveos fluvijs se recolligentibus, prisca terræ redderetur facies, paruit